Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36539
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

decelo et illuc ultra non reuertitur
sed inebriat terram 7 infundit eam
et germinare eam facit et dat semen
seminanti et panem comedenti. Sic erit
uerbum meum quod egredietur de
ore meo. Dicit dnus omnipotens. Tract.
Attende celum quod loquor audiat
terra uerba oris mei. V. Expectetur sicut pluuia eloquium
meum et descendant sicut ros uerba mea. Quia nomen
domini inuocabo. V. Date magnitudinem deo nostro. Perfecta sunt opera eius
et omnes uie eius iudicia. V. Deus fidelis in quo non est iniquitas iustus
et sanctus dominus.

Deus qui ecclesiam tuam semper ex gentium uocatione multiplicas
concede propitius ut quos aqua baptismatis abluis continua
protectione tuearis. Per. Tr. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum
ita desiderat anima mea ad te deus. V. Sitiuit anima mea ad deum uiuum
quando ueniam et apparebo ante faciem dei. Fuerunt michi lacrimae meae
panes die ac nocte dum dicitur michi per singulos dies
es ubi est deus tuus.

Omnipotens semper deus respice propitius
ad deuotionem ipsi renascentis
qui sicut cervus aquarum expetit
fontem et concede propitius ut
fide ipsi[us] sitis baptismatis mysterio animam corpusque sanificet. Per.
Sequitur ordo baptismi. Admissa.
Kyrie eleison. Gloria in excelsis.

Deus qui hanc sacratissimam
noctem gloria dominice resurrectionis illustras conserua
in nouam familiam tue progenie adoptionis spiritum quem dedisti ut
corpore 7 mente renati puram tibi
exhibeant seruitutem. Per. Ad
Rs. Si conresurrexistis cum xpo que sursum
sunt quaerite ubi xpc est in dextera dei sedens. Que sursum sunt
sapite non que super terram. Mortui enim estis et uita uestra abscondita est cum xpo in deo. Cum autem
xpc apparuerit uita uestra tunc
et uos apparebitis cum ipso in gloria. Alleluia. V. Confitemini domino quoniam
bonus quoniam in seculum
misericordia eius. Tr.
Laudate dnm omnes gentes. Secm marcum.
Vespere autem sabbati que
lucescit in prima sabbati
uenit maria magdalena